





8462

1771, 13

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
AN  
VXOR MARITI FIAT SOCIA  
ILLATA DOTE, QVAE IN COM-  
MVNIBVS SOCIETATIS BONIS  
EXTAT  
IN SOCIETATE MERCATORIA

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE  
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.  
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.  
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE XVIII. OCTOBR. ANNO CIOIOCCCLXXI.

DEFENDET

HENRICVS BREVNING.

GRAIZA - VARISCVS.

---

LIPSIAE  
LITERIS RVMPFIIS.






AN  
VXOR FIAT MARITI SOCIA  
ILLATA DOTE, QVAE IN COMMUNI-  
BUS SOCIETATIS BONIS  
EXTAT  
IN SOCIETATE MERCATORIA.

---

§. I.

 *Q*uam fauorabiles olim etiam Romanis fue-  
rant dotes, propter quas nubent fem-  
inae, vt adeo semper in ambiguis cau-  
sis pro dote respondendum censerent,  
vt est in *L. 70. n. de iure dot.* et *L. 85. de Reg. iur.* ad quas *CY-  
IACIUS in Iulio Paulo. ad c. l. 70. RAEVARDVS ad Reg. iur.*  
*85. Pet. FABER. ad L. 20. de Reg. iur.* tamen maiores no-  
stri omnem omnino dotium causam arque fauorem olim  
ignorarunt. Hinc *TACITVS de Mor. Germ. cap. XVIII.* ex-  
presse adfirmat. *Non uxorem marito, sed maritum uxori dedisse  
dotem.* Facile patet, Tacitum abusiue dotis appellationem

A 2

dedisse

dedisse ei liberalitati mariti vel sponsi, quam in sponsam conferebat, ut dein vidua forsitan haberet, unde viveret. Si enim ex Romani Iuris notionibus dos eam pecuniam denotat, quae ad ferendi matrimonii onera dabatur; quis unquam proprio sensu mariti liberalitatem dotem dixerit, quae uxori non dabatur ad ferenda onera matrimonii, quae solus ferebat maritus, cuius erat alere familiam. At postea contigit et absque dubio ex illo nexu, qui per Imperatores Germaniae cum Italis provinciis intercedebat, ut populares, Imperatores in Italiam comitantes, dotium usum didicerint ab Italiae incolis, quibus et legum Romanarum, et ex his dotium usus semper cognitus fuerat. Receperunt dein, et ut videtur primum Illustres, dein forsitan reliqui Germaniae ciues, auctis maxime inter eos opibus, Romanas illas dotes, receptis tandem iis peregrinis legibus, usus dotium frequentior fieri coepit, donec provincialibus Legibus usus comprobaretur. Hinc in Germania dotes, de quarum diuersa denominatione patria GRYPEN in *Uxore Theodisc.* p. 114. sqq. dantur ad ferenda matrimonii onera, ut olim in eum finem a Romanis dari solebant.

## §. II.

Multa videtur dubitatio, an omnia quae a coniuge inferuntur dotalia fiant bona. De Iure Romano eoque antiquo, cum in manum mariti venirent uxores, nihilque tunc proprii haberent, omnia quae ad maritum inferbantur dotalia fuisse, dubitandum non est. Sed quid postea, quum conuentio in manum mulierum amplius usu non frequentaretur? Neque aliter decidendum arbitrator. PAVLI enim aetate in manum conuentio usu non frequentabatur et tamen in *L. 70. π. de Iur. Dot.* adfirmat: *In ambiguis pro dotibus respondere melius est.* Sicuti enim

enim fauor dotibus mansit, nec indotata matrimonia comprobant, ita dubitandum non videtur, ea quae marito data, nisi expresse aliter conuentum fuerit, in dotem dari videri. Praeterea vero mansisse eum dotium fauorem, vt indotata non probauerint matrimonia Romani, exinde conicio, quod DOTALIA INSTRUMENTA celebritatem et ritus nuptiales facerent, a quibus confectis matrimonium inchoatum videbatur.

## §. III.

Sed si in dubio pro dote praesumendum sit de romano iure, quid faciamus cum VLPIANO in *L. 9. §. 3. π. de iur. dot.* qui speciem tractare videtur, huic praesumptioni contrariam. Verba ipsius haec sunt: *Plane si rerum libellus marito detur: (vt Romae vulgo fieri videmus, nam mulier res, quas solet in usu habere in domo mariti, neque in dotem dat, in libellum solet conferre, eumque libellum marito offerre, vt is subscribat, quasi res acceperit: et velut chyrographum eius vxor retinet, res, quae libello continentur, in domum eius se intulisse) hae igitur res, an mariti fiant, videamus: et non puto, non, quod non ei tradantur, quid enim interest, inferantur volente eo in domum eius, an ei tradantur? Sed quia non puto hoc agi inter virum et uxorem, vt dominium ad eum transferatur; sed magis, vt certum sit, in domum eius illata: ne si quandoque separatio fiat, negetur, et plerumque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissae sint.* Patet, forsan non omnia, quae ab vxore illata semper haberi potuisse dotem, neque ergo in dubio pro dote praesumendum. Sed salua res est. Non enim de ambigua et incerta aliarum illatione disputat *Vlpianus*, sed de illarum rerum illatione tantum, quarum libellum vxor marito dederat, quae usu et consuetudine iam determinata erant, vt de iis dubitari non posset, non esse dotales. Nam ipse *ICrus*

6

\* \* \*

prius morem retulerat, quem sequebantur romanae feminae, videlicet, vxores earum rerum, quas in vsu proprio sibi habere solebant, forsitan ornamentorum, vestimentorum aliarumque rerum muliebrium consignationem exhibebant, postquam ad maritum intulerant, marito, vt subscriptione sua comprobaret, has muliebres res futuras. Cumque harum rerum illatio dubia esse ob consuetudinem non posset, cum ex libello appareret, in domum illatas mariti, non vero marito illatas, vt ipse habeat, apparet, regulam: in dubio pro dote praesumendum, in hac specie haud fallere; quippe quotidiana illa consuetudo hanc illationem oblato libello iam determinauerat, ne dubia videri possit, causa.

§. IV.

Quid vero dicamus de patrio iure? An et in dubio in dotem datio rerum ad maritum illatarum praesumatur? Equidem si ex verbis in datione atque illatione adhibitis explicatio capi potest, qualis est apud GRYPEN in *Vxor. Theodisc. p. us. sq.* tractatio, per interpretationem res facile decidi potest. At si nec illud remedium interpretationis adhiberi potest, planeque dubium, vtrum in dotem dederit, an in parapherna vxor marito, quid praesumendum videatur. Recepimus dotes, easque ex recepto illo iure, cum antiqua patria ignoret dotes iura, iudicamus, praeterquam si quae in prouincialibus de iis statuta sunt. Probabile videri potest, ob dotium causam favorabilem illam praesumptionem admittendam, si indotata sit femina, i. e. si expresse dotem non intulerit. Sed quam defendit opinionem LVDOVICI in *Vsu pract. Distinct. ad Tit. de iur. dot. dist. IV.* & quos allegat CARPZOVIUM *P. 1. Const. 28. def. 89 et 90.* et STRYK *Tr. de cautel. contract. Sect. III. Cap. VIII. §. 6.* quod in dubio paraphernae magis praes.



praesumendae, quam dos ex rationibus morum patriorum verior videtur. Quae enim Romanis causa erat, cum dos matrimonium a concubinato distingueret, dotaliaque instrumenta ceremonia seu ritus nuptiarum esset, vt improbanda magis iis viderentur indotata matrimonia, cum germanorum moribus haud conuenit. Nunquam enim nec valuit, nec receptum fuit odium indotatorum matrimoniorum, imo nequidem olim dotata habebant. Dein neque nostris moribus addit aliquid dos matrimonio, neque detrahit. Amplius ignorantur dotalia instrumenta tanquam solennitas ciuilis inchoandi matrimonii. Non improbant itaque populares dotes, at non vt romani requirunt in matrimonio: sequitur inde, nisi de dote pacti fuerint coniuges, eosdem videri magis comprobasse patrios mores ex quibus maritus bonorum suae coniugis tantum vsufructuarius efficiebatur. Erunt ergo illata in dubio parapherna.

## §. V.

Iam de societate quaedam praemittamus, quo dein ex comparatis notionibus quaestionem dubiam decidere queamus. Commune lucrum acquirendum et commune damnum ferendum causam contractus societatis esse, omnes sciunt, neque dubitandum, hunc contractum solo consensu perfici posse, neque literarum monumenta, nisi probationis ergo, nec formularum subtilitates requiri. Sicuti vero consensus vel verbis, vel literis exprimi potest; ita quaestio oritur, an et tacite consensus interponi possit in contrahenda societate. De societate vniuersali, seu quae omnium est bonorum, negat BACHOVIVS *ad Treuilerum Vol. I. Disp. XXVII. Thes. VIII. Lit. F.* quamuis videatur negare nullo idoneo fundamento. Distinguit quidem societatem vniuersalem a societate vniuersitatis, vtpote.

utpote si liberi heredes in communione hereditatis paternaë manent. Hanc tacite contrahi posse putat, non illam. Sed quid? si pater cum Titio sit in societate omnium bonorum, is vero moriatur relinquens filium heredem, soluitur quidem patris morte societas. At si nec filius heres patris, nec alter socius Titius prouocet ad diuisionem, sed ipsam societatem continuet, cum prior societas patris morte soluta sit, nonne noua societas contracta tacite videtur? Multo minus dubium est singularem societatem tacite contrahi posse.

## §. VI

Iam ad ipsam veniamus facti speciem: *An vxor mariti fiat socia illata dote, quae in communibus societatis bonis extat in societate mercatoria.* Paradoxa videri posset haec quaestio, nisi in definienda ea iustos ponamus terminos. Varia distinguenda sunt inter se capita, quae variam legum et principiorum applicationem efficiunt. Aut enim a patre elocatur filia socio, aut elocatur extraneo dote data, quae in communibus extat bonis. Aut sui iuris est filia, quae dotem infert marito, et tunc distinguendum videtur, vtrum maiorennis sit, an adhuc minorennis. Tandem quidem adhuc videndum erit, an dos vere illata sit, an vero in dubio parapherna illata sint.

## §. VII.

Primum ergo de vxore filia a patre elocata socio, an cum dos maneat in bonis communibus societatis, ea fiat socia mariti. Ante omnia monendum, frustra hanc quaestionem manente adhuc societate inter patrem vxoris eiusque maritum moueri, quippe nullus huius quaestionis vsus. Quid autem, si vel moriatur pater, vel ipsa societas fidem fallat desinatque esse soluendo. Tunc iusta adest causa inquirendi, an vxor socia sit. Sed facillima est decisio. Si mori-

moritur pater filiaque, quae socii vxor est, eidem heres existit, si ad diuisionem societatis haud prouocat, sed eandem continuat, tacite quidem societatem contrahet cum suo marito, quippe patris morte prior societas sublata fuerat. At dotis constitutio non efficiet eam sociam. Fingamus Titium elocare filiam Caio dote data, quae dos, cum pernumeranda marito esset, loco numerationis recipitur Caius in societatem Titii. Fit ergo ficta et quasi breuis manus traditione dotis dominus maritus, et per hanc dotem, quae iam sua pecunia est, socius, eaque sua pecunia in dotem data, pecunia communis. Non ergo de vxore socia quidem quaeri poterit, quippe illius consensus ne interuenire quidem vel expresse vel tacite poterit, vt socia fiat, quippe iam sua non est pecunia, quae durante matrimonio mariti facta est, qui vero suo facto atque consensu coniugem obligare nequit. Ergo hac specie socia non est, sed sua dote maritus sibi societatem contraxit. Iam vero moritur pater et soluitur societas. Potest itaque filia heres, quae et socii vxor est prouocare ad diuisionem societatis, salua manente marito dote, quae durante matrimonio iam repeti nequit; repetit ergo ex communibus bonis illud, quod pater cui successit, habiturus fuerat, si ipse ad diuisionem prouocasset. At continuat vxor heres patris cum marito societatem, Socia fit mariti, et dotem suam agnoscit facto suo rem communem. Consequimur inde, soluta societate, si ad diuisionem societatis prouocet, manente apud maritum dote, iura vxori in dotem semper salua futura, vt vel dotem tunc repetat mortuo marito, vel si obaeratus fiat maritus, ex bonis ipsius dotem sibi capiat. Quod si vero continuet societatem, vel potius nouam cum marito ineat, repetere quidem ex hereditate mariti mortui poterit dotem, non autem, si socii desinant esse soluendo, seu banco, vt

B

vocat

vocant rumpant. Causam in hoc quaero, quod vxor in  
aes alienum contractum consentit socia, sciens maritum  
per dotem seu dotali pecunia suum esse socium,

## §. VIII.

Iam vero, si pater, qui socio filiam in matrimonium  
dederat dotatam, desinat esse soluendo cum socio, vtrum  
si concursus fiat creditorum, filia ex communi massa bo-  
norum obaeratorum, possit sibi repetere dotem, an vero  
dotem perdat. Est quidem certum, patrem profectitiam  
recipere dotem soluto matrimonio, sed non nisi consen-  
tiente, quae in potestate est, filia, teste **VLPIANO** in *L. 2. §. 1.*  
*π. Solut. matr.* Ait: *Quod si in patris potestate est, et dos ab eo*  
*profecta sit, non aliter quam ex voluntate filiae petere dotem, nec*  
*per se nec per procuratorem potest.* Hinc recte deciderat  
**AFRICANVS** in *L. 34. π. solut. matr.* Scribit: *Titia diuortium*  
*a Seio fecit, hanc Titius in sua potestate esse dicit, et dotem sibi*  
*reddi postulat: ipsa se matrem familias dicit, et de dote agere vult.*  
*Quaesitum est, quae partes iudicis sint, respondi, patri, nisi probet,*  
*filiam non solum in sua potestate esse, sed etiam consentire sibi, de-*  
*negandam actionem: sicuti denegaretur, etiamsi constaret, eam in*  
*potestate esse.* Nihilominus tamen putem ex massa bono-  
rum communium obaeratorum patris et mariti sociorum  
suam sibi dotem repetere posse, nec sociam illata dote ha-  
bendam. Sicuti enim maritus vxoris dotem aeri alieno  
obligare nequit, ita nec pater deteriorem eam reddere  
debebit. Vtor autoritate **PAVLI** in *L. 28. π. de Iur. dot.*  
**Scribentis:** *Post nuptias pater non potest deteriorem causam fi-*  
*liae facere, quia nec reddi ei dos, inuita filia, potest.* Cum er-  
go neque repetere dotem inuita filia pater possit, nec ei-  
dem solui; ita nec pater poterit inuita filia aeri alieno ne-  
xam facere et obligare dotem. Hoc eo magis verum, cum  
exeant apud nos filiae elocatae ex patris potestate, vt eo  
minus aere alieno deteriorem causam filiae reddere ne-  
queat.

## §. IX.

## §. IX.

Ad alteram pergimus speciem: Si pater filiam in matrimonium det Caio, promissa dote, quae in bonis patris cum Sempronio socio communibus extat: quaerendum an socia fiat. Facillima erit huius quaestionis decisio, videlicet, nunquam filiam sociam futuram, neque maritum quidem, nisi ipse in societatem consentiat dotemque in societatem inferat. Poterat enim de promissa dote agere maritus, ut eidem vxor socia fieri illata dote nequeat. Imo si socius postea factus sit, semper saluum erit vxori repetere dotem vel soluto matrimonio, vel si ad inopiam vergat maritus, quippe consensu mariti tantum vxor obligari nequeat.

## §. X.

At quid iuris sit, si vxor dotem, quae adhuc in societate est, marito infert, an socia fiat marito, cum tempore illatae dotis sui iuris fuerit, videamus. Facile patet, nos non de ea specie differere, quoties bona vxoris adhuc indiuisa sint in hereditate patris. Communio enim tunc vniuersitatis est, non societas, de qua nos disceptamus. Ut ergo rectius intelligamur, facti speciem dabimus. Fac Titium cum Caio socios extitisse, moritur Titius relictis liberis heredibus, qui tacite ineunt cum Caio societatem, cum non prouocent ad diuisionem hereditatis. In iis liberis Titia est, quae postea nubit Sempronio, huic sua in dotem dat bona adhuc in societate cum Caio existentia. Et quaerendum est, an, si Sempronius in societatem cum Caio per illata bona veniat, vxor simul socia marito fiat. Et in hac specie distinguamus, an Filia maiorennis sit, nec ne. Dein an omnia sua inferat marito bona in dotem, an aliqua sibi recipiat. Si maiorennis sit, ut tacito suo consensu societatem contrahere possit, et marito tantum bonorum suorum partem inferat in dotem, reliqua si-

bi retineat, an socia fiat mariti, si et ipse socius fiat, dubitandum non est, quin partem faciat in societate, quam, si facere noluisse, recepticia sua ex societate repetere et sic a societate discedere debuisset, nisi sociis eam pecuniam usufrariam mutuo dederit. Quapropter si illa societas deinceps obaerata fiat fidemque fallat, nunquam dubitari poterit, dotem ex communi massa repeti non posse, quippe socii, inter quos et Titia et maritus erat, communiter ad soluenda communia debita simul tenentur.

## §. XI.

Quod si vero haec ipsa Titia sua, quae in societate erant cum Caio bona marito inferebat omnia, an et tunc socia fiat, vehementer dubito. Nam simulac in dotem dat marito bona, dominium, quod habebat, et propter quod socia erat, in maritum transfert. Cum ergo illa bona Titiae esse desinant, Titia simul desinit esse socia. Neque enim socia amplius esse poterit, cum nihil in commune conferat. Fit ergo maritus in eius locum socius. Hic vero postquam dotis dominus factus est, vel poterat prouocare ad diuisionem, vel facto sicque tacite continuare societatem. Si ergo maritus societatem continuat, a qua discesserat illata dote vxor, noua inter Caium et Sempronium Titiae maritum inita societas videtur. Neque hoc Titiae vxori imputandum, quod maritus socius factus, quippe in illius arbitrio positum, vtrum prouocare ad diuisionem voluerit, vt ipsam dotem haberet, an maluerit inire cum socio antea vxoris societatem, inque eam inferre bona ab vxore in dotem accepta. Cum enim vxori hoc tantum ius competat, vt soluto matrimonio dotem repetere possit, vel marito ad inopiam vergente; ita neque prohibere poterit, quo minus socius fiat, neque consensu socium eundem efficiet. Quapropter nihil nocere poterit vxori, si prioris societatis compellationem retineant socii. Fac  
antea

antea dictam fuisse: Titii Erben und Compagnie. Hanc compellationem retinuisse maritum socium Caii, qui antea Titii heredum socius fuerat. Haec arbitraria denominandi ratio sola, nec sociam efficere poterit Titiam, nec eandem obligare societatis nomine. Quis enim ignorat eiusmodi societates mercatorias quotidie adhuc existere, qui priorum societatis autorum compellationem retinent, qui diutius demortui, quorumque heredes pariter ex societate discesserunt. Et quid dicamus adeo, si societati ficta dentur nomina, quae neuter sociorum gerat, qualia inter mercatores non desunt exempla. Semper ergo si socii obligantur, qui vere tales sunt, non, quorum nominum forsam fidei causa adhuc mentio retinetur. Quae cum ita sint, si postea contingat, ut societas aere alieno supprimatur, et quaeratur: an dotem ex communibus bonis repetere possit Titia, cuius dos in bonis societatis existebat, dubitandum non est, eandem repeti posse, quippe nec ex suo consensu amplius existebat in bonis societatis, neque ipsa Titia socia adhuc haberi poterat. Probo hoc amplius: Si verum, socium semper ad diuisionem prouocare posse, sequitur eum, qui ad diuisionem prouocare nequit, socium haberi non posse, neque eius bona licet in communibus societatis bonis existant, pro bonis communibus habenda. Iam nemo vxori ob id, quod maritus per suam dotem socius factus, concedet ius prouocandi ad diuisionem, nisi repetendae dotis causa: ergo nec vxor socii per illatam dotem socia haberi potest. Potest ergo suo uti iure in repetenda dote, si forsam postea maritus socius cum socio aere vtrique grauati bonis cedere coacti fuerint.

## §. XII.

Iam videamus de minorene. Neque hac dotis illatione sociam mariti futuram, quamuis bona adhuc in comunione sint, arbitror. Quod si enim fingamus Titium

B 3

Caii

Caii socium mortuum fuisse, relicta herede filia minorennem, antequam bona communia separentur, morte patris nihilominus soluta est societas. At noua societas inita non videtur, quippe illa minorennis filia expresse nequit inire societatem, cum suarum rerum administratione destituatur, quomodo affirmemus, eandem tacito consensu sociam factam. Dein si ad diuisionem societatis prouocare velit, cum diuisio alienationem inuoluat, haud ipsa poterit prouocare. Quapropter, si per tutorem seu curatorem haec diuisio bonorum suscepta non sit, vt huic minorenni in societate permanendum fuerit, in ea cessat imputatio. Hinc si marito nubat, qui fit socius, cuique suam in dotem confert partem bonorum communium, iam huius erat, ni velit socius esse, dotem suam factam vindicare ex communi massa societatis, cum vxori minorenni vel non liceat prouocare ad diuisionem ob minorennitatem vel quod dominium suarum rerum in maritum titulo dotis translatum sit. Concludo, si contingat, vt aere alieno supprimantur socii, inter quos minorennis feminae maritus, cedereque bonis cogantur: dubitandum non est, eam vxorem saluam repetere posse dotem. Sicuti enim ante initum matrimonium socia dici non poterat, cum intra minorennitatis aetatem sese absque consensu curatoris valide obligare non poterat, et necessitate magis, quam consensu solutae per mortem patris societatis communia adhuc societatis olim bona permanerant; ita nec maritum socium factum patris superstiti socio per dotem illatam, quae in communibus bonis adhuc existebat, sibi socium constituebat, sed sua in dotem iura potius in eum transferebat, saluo iure repetendi dotem, si vel solutum morte mariti matrimonium, vel si societas obaerata sit facta etiam mariti culpa. Haec enim vxoris iuribus noxia esse non poterat, quippe quae datis in dotem bonis marito, statim exit ex societate, licet for-

fitan



fitan maritus in negotiatione exercenda suae vxoris nomen adhibeat. Agit enim maritus cum rebus dotalibus vt dominus, non vt procurator.

§. XIII.

Tandem adhuc quaedam de *Paraphernis* adiciamus. Supra monuimus, in dubio, quoties ignoratur, an in dote, an in parapherna pecunia ab vxore marito data sit, pro paraphernis praesumendum. Pariter moueri potest quaestio: an datione paraphernalium vxor socia mariti facta sit, si illa paraphernalia bona extant adhuc in communibus societatis bonis. Videbimus, quid iuris videatur, si vxor maiorennis, et quid? si adhuc minorennis sit. Primum dicamus de *maiorenne*. Certum est, in paraphernis dominam manere coniugem. Hinc videndum an socia vere sit, i. e. an societatem prius ipsa inierit cum socio sui patris. Si vere socia est, et marito tantum administrationem relinquit cum vsufructu, non quidem fit socia mariti, at administratoris tamen sui facta praestare tenetur. Quapropter, si postea societas bonis cedat ob aes alienum, simul paraphernas amittit coniux, quia vere socia est, eaque paraphernalia bona ad massam concursus referuntur. Quod si vero marito dederit paraphernas, vt ex suo iure vtatur, isque deinde voluntarie societati infert, cum potius illius fuisset, prouocare ad diuisionem, quo pro arbitrio paraphernis vti possit, cum sub communi nomine *des Einbringens* et paraphernalia intelligi possint et leges concedant forenses vxori ius repetendi illata, ad quae parapherna numerantur, vxor de paraphernis non tenetur societati obaeratae, sed sua illata repetit. Marito enim licebat, quocunque honesto modo illatorum bonorum vsufructum quaerere. Hinc, si in societatem nouiter quasi contulerit maritus, vxori hoc factum non imputandum, quippe prohibendi ius non habebat, quocun-

cunque modo maritus ea pecunia paraphernali vti velit fruique. At vero, si *minorennis* sit vxor, quae marito intulit bona, quae in dubio paraphernis adnumeranda. Neque dubium est, cum expresse socia fieri non possit, nec in rem suam consentire maritus, tacite illatione sola sociam mariti non fieri. Manet itaque dominium apud vxorem, quae minorennis est, salvo mariti vtendi fructuque iure. Quare si ea bona fiat in communibus societatis rebus, nec separatio vrgeatur, ipse maritus continuet societatem. Hic magis socius factus, non aequae ipsius vxor. Quapropter, et ipsa vxor salua sua repetere poterit paraphernalia, si forsitan postea societas obaerata ad concursum veniat. Superesset praeterea ipsi minorenni, si concursus intra restitutionum tempora veniat, beneficium restitutionis in integrum, quod nullo iure eidem adimi possit si forsitan per aetate laesa. Neque si postea maiorennis fiat, id eidem nocumento erit, quippe, si marito soluta sint paraphernalia, ipsius est, curare, quem in modum vti fruique velit, salua vxoris proprietate.



ULB Halle

3

008 558 760



W 78





8482

1791, 13

QVAESTIO  
 IVRIS CONTROVERSI  
 AN  
 VXOR MARITI FIAT SOCIA  
 ILLATA DOTE, QVAE IN COM-  
 MVNIBVS SOCIETATIS BONIS  
 EXTAT  
 IN SOCIETATE MERCATORIA

QVAM  
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE  
 D. CHRISTIANO HENR. BREVNING  
 PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

